

Pauli & Iohannis, clarissimis assertionibus, in Ep. *I. Cor. XIII.* & *I. Joh. III.* ostendimus; aut dicendum fuerit, Apostolos Apostolis contradicere, aut fatendum est, eos, qui visione in Dei intuitivam hunc vitæ denegant, & in vitam futuram differri docent, non posse referri inter eos, qui suam experientiam aliis exempli loco esse voluerint. Nam & ad loca scripturæ, quæ Keithus pro sua opinione adduxerat, jam supra respondimus.

XL I. Quandoquidem autem fortassis ea, quæ tribus Apostolis, *Petro*, *Jacobo & Iohanni* in monte Tabor, Christi glorificationem ibidem spectantibus, obtigerunt; quæque referunt *Matthæus Cap. XVII*, 1. seqq. *Marcus Cap. IX*, 1. seqq. *Lucas Cap. IX*, 28. seqq. Item quod *Paulus*, sibi accidisse memoret, cum *raptus in tertium cælum*, aut in *Paradisum*, audiret verba inenarrabilia, quæ non concessum sit homini eloqui *II. Cor. XII*, 2. 3. 4. exempli rationem habere videri possunt; (certe alias inter exempla prægustus vitæ æternæ reputantur;) ideo de illis breviter dispiciemus.

XLII. Sane *B. Brentius* de discipulorum sorte, in monte Tabor versantium, ad *Matth. I.c.* bene scribit: *Non sentiendum est, quod Christus effundat hic in discipulos totam gaudii cœlestis plenitudinem. Neque enim homo in hac terra, & in hac mortali carne, posse plenitudinem cœlestis felicitatis sensu suo sufferre: citatque loca Ef. LXIV. & I. Cor. II.* *B. Hunnius* autem in *Comm. ad II. Cor. XII. p. 386. Corporeis*, inquit, *hominum (Apostolorum) oculis quandam velut imaginem cœlestis glorie, & beatitudinis conspiciendam exhibuit. Idem in comm. ad Matth. I. c. p. 391. Quanquam, quid sit vita eterna, scire ac definire in hac humani ingenii imbecillitate ac caligine fas non est, siquidem oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis nunquam descenderunt, quæ preparavit Dominus diligentibus se, tamen præsens historia nobis materiam de eajuxta Scripturæ patefactionem differendi vel potius balbutiendi præbet. Etenim pars quedam illius erit claritas quæ, in Christo, quæ in Mose, quæ in Heliā conspecta est. Nam & nostra corpora non erunt amplius tam deformia, tam caduca, tam ignobilia & corruptibilia, sed quemadmodum scriptum est: seminatur in corruptione, resurget in incorruptionibili-*